

ille ex antiqua potius editione facere consuevit. Eodem etiam argumento utitur FLORVS p. 726. GARNERIUS acer argumentorum Remigianorum censor in Diss. cit. p. 251. argumentum hoc calculo suo confirmat, hoc proponens exemplum: Hypognostes hæc habet Psalmi CXIV. verba: *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit mihi. Quoniam eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu, placebo Domino in regione vivorum;* quæ apud AVGVSTINVM ita leguntur: *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Quoniam exemit animam meam a morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu. Placebo in conspectu Domini in regione vivorum.* Idem Garnerius etiam animadvertit, quoad N. T. Hypognosten sequi lectionem Evangelii, quam idem Hieronymus, Damasi rogatu, recognovit. Neque contemnendum est argumentum IV. quod libri Hypomnesticon declarant indolem auctoris quoad intellectum & voluntatem, quæ omnino opposita est indoli Augustini. Huc pertinet, quod PRUDENTIUS p. 398 & REMIGIUS p. 124. absurditatem & contradictionem in his libris reperiendam Augustino minime convenire statuunt, quibus Remigius p. 125. addit: *Et modestia, atque humilitas morum, & sermonum ejus non ibi servatur.* Ita etiam ERASMVVS de libris istis judicat, *clamoris plus habere, solidæ argumentationis minus, quam Augustinus,* & GARNERIUS p. 253. *Multum Augustinus modestia orationis, plurimum latinitate Hypognosten vincit.*

§. XII.

Hucusque vidimus, Prudentium, Florum, & Remigium bene disputantes adversus Hincmarum, qui contendebat Augustinum ipsum esse Hypognosten. Nunc etiam fatendum & GARNERIO concedendum est, adtexuisse hos Viros argumentis optimis nonnulla omnino levia omnique vi probandi destituta.

Talia